Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1707

Quelle:
Copyright:

chriſtiane ſit verum et credibile menti ſane. 5.) *Vtrum Summum bonum inmutabile ſit creator. et conſeruator ſingulorum encium vniuerſi.* Nomen Autoris minio praeſcriptum per Κακοζηλον quendam, ut alias, extritum eſt; ego in *Huſſum* propendeo.

III. *fol.* 57. p. 2. *Poſicio de vniuerſalibus Magiſtri Stanislai.* Incipit: *Quia nonnulli modernorum contra res uere communes et vniuerſales adeo ſunt inflammati* &c. Ad calcem: *Tractatulus de vniuerſalibus magiſtri Stanislay de Znoyma. compilatus ab eodem Anno domini M°. CCCC°. 8. in ſtudio pragenſi.* Sed adhaeret diſcuſſio ſequentis Quaeſiti: *Vtrum vniuerſalia habeant ſolum nude pure eſſe in intellectu, uel preter operationem intellectus creati ſubſiſtant in propria forma.*

IV. *fol.* 70. *Iſtud eſt capitulum tertium Libri de trinitate beati Theodorii epiſcopi contra Sabelium qui dicit tantum unam eſſe perſonam in diuinis ſicud et naturam.* Initium: *Quid eſt natura et ſubſtantia, et quid eſt de* (redundat?) *ſubſiſtentia atque perſona. Natura et ſubſtantia in nullo ſignificationum* (ſignificatorum?) *differunt niſi nomine. Natura enim ſubſtantia eſt, ſubſiſtentia et perſona in nullo ſignificatorum differunt, niſi nomine. Subſiſtentia enim perſona eſt* &c. Finis: *Inuenitur enim ab eis, qui non temptant eam, et apparet non diſcredentibus ſibi.* Tam ſententia quam phraſes *Capituli* hujus *Theodorum Abucara* vel *Carae* in *Palaeſtina*, vel *Carrarum* in *Meſopotamia* Epiſcopum *Johannis Damaſc.* diſcipulum Sec. VIII. Scriptorem loquuntur, de quo erudite disquirunt *Fabricius Bibl. gr. Vol.* IX. p. 176. et *Baſnagius* in edit. *Lect. ant. Caniſii* T. II. P. 2. p. 464. Non legitur illud inter Opuſcula *Theodori* XLII. a *Jac. Gretſero* primum *Ingolſt.* 1606. edita, neque Tractatu illo περι ἑνωσεως και σαρκωσεως comprehenditur, quem *Pariſiis* 1685. 8. publici juris factum *Baſnagius l. cit.* p. 474. repraeſentavit. Itaque ἀνεκδοτον eſt, textu graeco primitivo dudum deperdito, aut hodiedum delitescente.

V. *fol.* 73. Collectanea Theologica in Alphabetum redacta, quibus alia e PP. et Jure Can. absque ordine lecta ſuccedunt.

Codici praetexta eſt Membrana mutila, qua *Wenceslaus Patriarcha Anthiocenus et Boemiæ Regis Cancellarius* vi poteſtatis ſibi a *Bonifacio* IX. anno ejus *nono* (1398.) factae *Wenceslao* cuidam Regimen cujusdam eccleſiae confert. Plura colligi inde nequeunt.

CCCCXXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 299. f. per duas columnas exaratus et rubricis diſtinctus continet Partem potiſſimam vaſti Operis *Johannis Huſſi*, ut plura ſuadere videntur, licet *Cod.* DLII. nomen *Matthiae Pariſienſis* praefixum ſit, dicti *de* 895

Regu-